

**Acta Tribunalium Sanctae Sedis.
Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal.
Decreto, 24 april 2013.**

Prot. n. 47389/12 CA

Praecepti

(Rev.dus N. – Congregatio pro Clericis)

DECRETUM

Rev.dus Recurrens die 22 ianuarii 2012 in ephemeride publicare fecit graves denuntiationes contra Exc.mum Administratorem Apostolicum, presbyterium dioecesis, institutum theologicum, scholas catholicas et paroecias, quae etiam ope v.d. *Internet* divulgatae sunt.

Exc.mus Praesul ergo die 26 ianuarii 2012 Rev.do N. praeceptum imposuit ut hisce falsis denuntiationibus finem imponeret.

Die 9 februarii 2012 Cl.mus Advocatus Procurator Rev.di N. revocationem

praecepti ab Exc.mo Administratore Apostolico exostulavit et die 27 martii 2012 adversus silentium Exc.mi Episcopi recursum ad Congregationem pro Clericis interposuit, qui decreto diei 30 augusti 2012 (prot. n. 20121187) reiectus est.

Responsione negativa etiam ad petitionem revocationis ad normam art. 135, § 2 Ordinationis generalis Romanae Curiae die 3 novembris 2012 data et die 15 novembris 2012 notificata, Cl.mus Advocatus Procurator die 28 novembris 2012 recursum ad H.S.T. interposuit.

Actis causae pro examine praeliminari receptis,

SUPREMUM SIGNATURAE
APOSTOLICAE TRIBUNAL

Re sedulo examini subiecta;

Praemisso quod:

- Christifidelibus patet ius delicta et errores doctrinales apud Ecclesiae Pastores denunciandi;
- Ex huiusmodi tamen denuntiatione nullum sequitur ius ut remedia disciplinaria vel poenalia applicentur, cum id ad solam competentem Ecclesiasticam Auctoritatem pertineat (cf. cann. 1718, § 1; 1720; 1721, § 1; H.S.T. Decretum, die 4 maii 2007 in Congressu c. Vallini latum, prot. n. 38690/06 CA);

- In casu negligentiae Ordinarii patet denuntiatio ad ipsam Sanctam Sedem, non autem excitatio publica ad similitatem adversus Ecclesiae Pastores;

Quoad assertas violationes legis in procedendo, perspecto quod:

- In casu non requirebatur praevia admonitio vel auditio Rev.di Recurrentis, cum divulgatio denuntiationum ab eo peracta notoria esset, eo vel magis quod can. 50 praevidiam auditionem non absolute praescribit;

- Congregatio decreto diei 30 augusti 2012 sufficienter argumentis adductis respondit, dum ad Congregationem spectabat determinare “quid reapse est ad rem et quibus ex argumentis respondendum est in suis decretis, pro quibus sufficit motivatio summaria ad normam can. 51” (Decretum definitivum c. Erdő, 14 martii 2009, prot. n. 39682/07 CA, n. 7);

Quoad assertam violationem legis in decernendo, considerato quod:

- Ipse Cl.mus Advocatus Procurator admittit denuntiationes publice a Rev.

do Recurrente divulgatas fuisse imprudentes;

- Quibus dictis, omissis ceteris forte ad rem animadvertendis, iam satis constat de iusta causa ad impugnatum praeceptum ferendum;

Cum proinde non habeatur, inspectis actis, ullum indicium de violatione legis in procedendo vel decernendo;

Auditis Rev.mo Promotore Iustitiae et Rev.do Promotore Iustitiae Substituto;

Vi art. 76, § 1 *Legis propriae* H.S.T.,

decrevit:

Recursum in limine reiciendum esse et facto reici ob evidentem defectum cuiusvis fundamenti.

Et notificetur omnibus quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Pro expensis mittatur summa 250,00 Euro.

Adversus hoc decretum datur recursus argumentis suffultus ad Congressum intra terminum peremptorium decem dierum ab eodem recepto (cf. artt. 28,

§ 1 et 76, § 3 *Legis propriae* Signaturae Apostolicae)¹.

Datum Romae, e Sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 24 aprilis 2013

+ Franciscus DANEELS, o.praem.
Archiepiscopus tit. Bitensis
Secretarius

Iosephus Ferdinandus MEJÍA YÁÑEZ, m.g.
Moderator Cancellariae